paludosis, verè qvidē, sine tamen aqvarum transsubstantiatione, aut ullius terræ neqve tincturæ rubræ concursu, cruentis, in specie de massa illa cruenta spumosa, qvalis anno 1700. mense Julio & Augusto non solùm piscinæ publicæ σμικρο-Lissensi prope Delitium, sed & multis simul aliis lacubus & paludibus pagorum vicinorum & longè distantium, supernatare conspiciebatur, & à plurimis superstitiosis & rerum physicarum ac chymicarum ignaris tanqvam divinum miraculum, & bellicæ calamitatis, imò imminentis jamjam diei novissimi prodigium, in concionibus metanoëticis & ordinariis adorabatur. Qvemadmodum enim *Magia* in Bibliis sacris *Sapientia seu Physica Ægyptiaca* & Occulta, ab Ethnicis Deorum Cultus, & à Persis in specie Divinorum & Sacerdotalis Sapientia, vocatur: ita & *Chymia*, qvæ à Chamo, Noachi filio, nomen accepit, testante *Plutarcho in Lib. de Iside & Osiride*, *Ars* dicitur *Ægyptiaca*. Et revera ars est eadem, qvæ imitatur naturam & supra lunarium seu cœlestium, & sublunariū seu macro-atqve micro-cosmi, qvam tempore adhuc Moysis Hermes Trismegistus in Ægypto exercuit, sine qva, judicio *Matthioli Epist. Medic. Lib. IV. Epist. ult. ad Andr. de Blauen*, nulla pērfecta Scientia, neq; in Physiologia Medica neqve Praxi (tam ordinaria, qvàm extraordinaria seu magica) acqviri potest.

Ne tamen diutiùs candidum Lectorem detineam, his Valere ipsum cupio.

Erra-